




Ecce plus quam Salomon Hic ex Clement: VI. Papa Eleg:



PYTHAGORICUM



NAI KAI Oŕ

EVANGELICUM

EST & NON

D I V O

T H O M Æ

A Q U I N A T I

DOCTORI ANGELICO

*applicatum,*

&

SERMONE PANEGYRICO

*deductum*

In templo S. ÆGIDII, Sac: Ordinis Prædicatorum Vetero-Pragæ

P. AMANDO FRIDENFELS, Sac: Ord: Præmonstrat: Regiæ Ecclesiæ Strahoviensis; in Montè Sion Canon: Philosoph: necnon SS. Theologiæ Professore.

Die 7. mensis Martij. Anno 1692.

VETERO-PRAGÆ. Typis Archi-Episcopalis Seminarij, in Collegio S. Nor-

SUB AUSPICIIS  
ILLUSTRISSIMI AC EXCELLENTISSIMI  
DOMINI, DOMINI

ROMEDI I  
CONSTANTINI

Sacri Romani Imperij  
COMITIS

De

**S**hun/

Domini in Choltitz, Castelphunt, Superi-  
riori & inferiori Marckerdorf.

SAC: CÆSARÆ MAJESTATIS ACTUALIS

CONSILIARI  
CAMERARII,

Et in inclyto Regno Bohemæ

REGII LOCUMENTENTIS,

Necnon in præsentibus Regni Comitij

COMMISSARI CÆSAREI,

*Domini ac Patroni Gratosissimi.*

Qui FECERIT & docuerit, Magnus vocabitur. *Matt. 5.*

**D**um loquitur THOMAS, vulgaris dictio non est,  
NOBILIS est Rhetor nobilitate placet.

Dum scribit Thomas, censurâ est liber ab omni,

An non tunc LIBER BARO vocandus erit?

Dum dictum FACTUM comitatur, fit COMES, & tunc

Ad magam de SHUN pertinet ille Domini.

NOBILIS,

BARO,

COMES de

Shun.

Univ. Bibl.  
München

# T H E M A.

Sit sermo vester **EST, EST. NON, NON.** *Matth. 5.*



**EST EST! NON NON!** *Quid vult semini verbis iste dicere?*

ponit & tollit, extruit & destruit; annuit & reuult, affirmat & negat, vix os aperit, & jam sibi contradicit. *Novorum demonitorum videtur Annunciator esse.* Ita Epicurei & Stoici philosophi taxabant Doctorem gentium. Non sum ego Doctor gentium, sed ductor non entium, repeto quod dixi

I.  
*Actor. 17.*  
*Ibidem.*

**Est, est, Non non!** Audio vos AA:OO: me cum Areopagitis ita alloquentes.

*Possimus scire, qua haec est nova, qua a te dicitur doctrina? nova enim quadam infers auribus nostris.* Non sunt haec nova A:O: nihil sub sole novum, nec valet

*Ibidem.*  
*Eccles. 1.*

quisquam dicere: ecce hoc recens est. **Est & non** vetustissima sunt: nam Deus qui summè **Est** antiquissimus & aeternus est, & ipsum creaturarum **Non esse**, novum non est, sed Deo coævum & coeternum. Resumo igitur antiquam parabolam, repeto veterem Lyram, & Angelico Doctore hodie acclamo **EST EST! NON NON.** Per opposita juxta se posita Doctoris Angelici Dignitas magis elucescet. **Est D. THOMAS** grande orbis prodigium, qui libet illius articulus octavum mundi miraculum est, hoc ipsum inter miracula computandum venit, quod ait Seneca: *Tota hujus mundi concordia, ex discordibus constat.* Declarat hanc veritatem Ecclesiasticus sequentibus verbis: *In omnibus operibus Altissimi: bina quaeq; videas, quorum unum repugnat alteri,* sic versio Figurina, Syrus autem ita vertit: *Manifestavit Deus opera sua omnia bina unum contra unum.* Licebit igitur & mihi in Laudibus **D. THOMAE** adhibere antitheta, de quibus M.S.P. Augustinus taliter loquitur:

*Antitheta in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quae latine appellantur opposita, vel contrapposita; sicut ergo ista contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione, seculi pulchritudo componitur.* Decentissimè ergo **D. THOMAE** acclamare possum haec Antitheta: **EST EST! NON NON!** Parva quidem haec est lectio, sed magna subest intellectio, de hoc Pythagorico **EST & NON,** notanter canit magnus Aufonius:

*Natural.*  
*99. L. 7.*  
*Lib. 11. Civit. c. 18.*

**EST & NON** cuncti monosyllaba nota frequentant,  
His demptis nihil est, hominum quod sermo volutet,  
Qualis vita hominum duo quam monosyllaba versant!

*In Eidyll.*  
  
**II.**

Si de consilio imò de præcepto aeternae veritatis loqui velim, nihil aliud proferre possum nisi **est! est! non, non.** Incarnata enim Sapientia, discipulis ad prædicandum missis hanc inculcavit Lectionem; *Sit sermo vester* **Matth. 5,**

EST EST. NON NON. Ad prædicandum ac deprædicandum D. THOMAM hodie missus sum; siam Ordinis Prædicatorum & cum Discipulis Domini, sermo meus erit: EST EST. NON NON. Ero prædicator, magna tamen inter me & vos Religiosissimi P. P. Prædicatores erit distantia, ac inter EST & NON, oppositio. Vos estis Ordinis S. Dominici, per mysteriosum caniculum præfigurati, adeoque estis *Domini canes*, seu *canes Domini*, ut cum Augustino loquar: *canes laudabiles fidem servantes Domino suo, & pro eius domo contra inimicos latrantes. Ego canis vocalis non sum, sed propter dicendi imperitiam sum canis mutus. Vos estis Domini cani, seu Domini Seniores Apocalyplici, apud Dominos canos, cana antiquorum requiescit Sapiencia. Soli capitis mei crines cani sunt, & non sunt apud me cani sensus hominis. Non sum Prædicator, sed prædator, illud quod per EST pono, per non est tollo, & ut ingenuè veritatem cum magno Aurelio fatear: Erubescio dicere quod sum, & non audeo dicere quod non sum. Odi quod sum, & non sum quod amo.*

In Psal. 67.

Isai. 56.

Apocal. 4.

Sap. 4.

Epist. 106.

III.

Psal. 54.

Psal. 17.

Psal. 30.

Nihilominus præcepto Domini animatus de D. ТНОМЯ dicam est est, non non! erit hæc contradictio sine omni contradictione, ipsa oppositio fiet compositio, valorem suum obtinebit tam esse, quam non esse. Quod dum præstare aggredior, ad Te sermonem meum converto Doctor Angelice! Plenus es *spiritu veritatis*, ego verò *spiritu contradictionis*. In magna triurbe, & populosa civitate, de te ex hac cathedra jam tertio declamo: unde plus quam semel expertus sum, & cum Regio Psalte, pro ingeniorum varietate, *vidi contradictionem in civitate*. O! Doctor Angelice, dum de Te peroro, hoc unicum oro, *Eripe me de contradictionibus populi, protege me à contradictione linguarum*, nè propter contradictionem, linguæ exacuatur meâ contra dictione; si verò in tam numerosi populi frequentia, in magnorum virorum præsentia mea defecerit eloquentia, & nihil ad Rem, mera protulerit *non Entia*; vestra mihi A:AO:O: succurrat benevolentia, & ut ad Rem dicam subministret *Entia*. Faveat mihi tua Celsissime Princeps Clementia, utinam brevi Eminentia! vestra Illustrissimi Regni Proceres Excellentia, vestra Reverendissimi Præsules in superlativo Reverentia, vestra Viri Præstantissimi Magnificentia, & vestra Doctissimi Professores & Lectores Sapiencia. O quam vereor, nè sine aliquorum Auditorum displicentia, nequeat laudari D. ТНОМЯ Sententia, ab illis humanissimè peto, ut mihi concedatur indulgentia, & si hæc impetrari non possit, dico Patientia! Vos autem omnes Thomistica Scholæ Fautores gratiosissimi obsequiosissimè oro, ut mihi hodie confundenti EST & NON, permiscenti Entia & non Entia, vestra faveant silentia, & ut benevola mihi concedatur



**daturaudientia, quemlibet auditorum humanissimè requiro dicendo, Audi, Entia.**

De nihilo nihil ad rem dixit, quicunq; dixit: *ex nihilo nihil fit. Ex nihilo omnia fecit Deus.* Quidquid fit, *ex nihilo sui fit*, omne factum esse, præcedit non esse, prius nobis convenit particula **NON** quàm **EST**. Communis Divo **THOMÆ** cum reliquis mortalibus origo, est *grande nihil*. Omnes in hoc genere *Grandes* Hispaniæ sumus, in gentilitio nostro insigni gestantes *grandem Nullam*. Si propinquiorem quæramus scaturiginem, pulvis sumus, & in hoc omnes *Paros* Franciæ sumus. Pulvis eramus antequam essemus, ante pulverem eramus *nihil*. Ex nihilo prodivimus, nostrum Esse descendit à non esse. Si verò à communi esse transitum fecerimus ad particulare esse, deprehendemus **D. THOMAM** Nobilem & Comitem Esse. Verè **THOMAS** Comes est, quia virtus illius **Comes** est, verè habet Illustrissimum **ESSE**. Nam **D. Hieronymo** *Summa nobilitas est, clarum virtutibus esse*. Rectè pronunciauit Aristoteles: *Nobiles illi videntur esse, quibus majorum virtus inest*. Qui ergo vult nobilis esse, illi debet virtus inesse; nam ille nobilis non est, cui virtus non inest

Quid sibi velit inesse, ostendit **Parvulus THOMAS** per **Esse** \* nam fortuitò repertam chartulam, Salutatione Angelicâ inscriptam, avidissimo ore deglutivit, iudicans hunc bolum dignum esse, quem **Esset**. \* nec gratiorem cibum potuisset **THOMAS** **Esse** \*, quàm in **Maria** Verbum incarnatum, à quo provenit omne **ESSE**. Illum enim *pra amore devorat & \* EST* qui *Suavis Dominus* & totus amabilis **EST**. Liceat mihi **AA. OO.** pro condimento hujus salutatis boli unico grano salis abuti & dicere :

Propter **EST EST** \* **Adam** morti traditus est.

propter **EST EST** \* **THOMAS** vitæ redditus est.

Praeludia hæc erant futuri **Esse** & **Non esse**. Abiectis enim puerilibus **Ante-prædicamentis**, **Sacrum ingressus Prædicatorum** Ordinem, Locum invenit in **Sancto Prædicamento**. Exemplaris illius conversatio, semper in bono fuit *prædicato*, ostendit se esse **ENS prædicabile & prædicamentale**. **Non** carent Religiosa prædicamenta suis postprædicamentis, in quibus agitur de contrarijs & oppositis. Tota Religiosorum vita congeries contrariorum est, *caro pugnat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*; pura est contradictio, merum **esse** & **non esse**. Tria Religionis Vota involvunt contradictoria tota, in illis abnegatio mundi, abnegatio sui, abnegatio propriæ voluntatis, denique affirmationes negationibus permiscentur. **THOMAS** Voto castitatis obstrictus *in carne vivens sine carne*, ostendit se **Hominem esse, & non esse**. **THOMAS** per votum paupertatis renun-

IV.  
**D. THOMÆ**  
Nobilitas.  
2. *Mich. 7.*

Contra Ce-  
lant.  
*L. s. de Re-  
pub.*

V.  
Salutatio-  
nis Ange-  
licæ **ESUS**.  
*Isah. 33.*

\*  
*Edo, edero,  
vel esse.*

VI.  
**D. THOMÆ**  
Status Re-  
ligiosus.

*Galat. 3.*

2. *Corint. 6.* tians proprietati, computatus est inter nihil habentes & omnia possidentes, & sic demonstravit se divitem, & non divitem esse. THOMAS per Votum obedientiæ abnegans propriam voluntatem, declaravit se liberè velle, nunquam velle, proprio duci velle, & hoc unicum suum esse velle, nunquam sequi velle, proprium velle, sed semper alienum velle. Ecce! velle & non velle. THOMAS per Professionem Religiosam abnegando seipsum; proprium esse redegit ad non esse: ità ut nec quidem se ipsum agnoverit, cum Apostolo dicens: *Vivus ego jam non ego.* Denique

*Galat. 2.*

THOMAS mundo mortuus, vixit DEO, cum mellifluo Doctore se taliter explicando: *ad alia omnia mortuus sum, quæ verò sunt Christi, me vivum invenient.* Ecce! mortuum & vivum, esse & non esse. THOMAS amans permanere mundus, non amavit ea, quæ amat Mundus. Volens retinere cor mundum, ad cor non admittit Mundum. Sciens, quòd ille non possit esse mundus, cui placet Mundus, & citò fieri immundum, qui tangit Mundum. Approbat hunc sensum S. Augustinus dicens: *Si deletat te Mundus semper vis esse immundus, si autem non deletat te hic Mundus jam tu es mundus.*

*Tract. 38.*  
*in Joan.*

VII.  
Confanguineorum persecutio.

Fugit ergo D. THOMAS Mundum, sed Mundus insequitur fugientem, & fugitivum affectus inter blandientis matris amplexus, inter rabientium fratrum minas, arcto carceri includit. O THOMA! qualem tecum Mundus exercet contradictionem?

Nè THOMAM perdat, THOMAM per vincula servat,  
At ideo servat THOMAM, ut per vincula perdat.

*De consol. ad Helv.*

Verùm THOMAS non potest claudi carcere, qui mundo non potuit claudi. Quid dico carcere? dictioni meæ se rursus insinuat est & non. Ille Locus, qui carcer est, præsentè THOMA carcer non est. Si enim de incarcerato Socrate dicere Seneca non dubitavit: *Non poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Rectiùs ego dixero: non potuit carcer videri, in quo THOMAS erat.

VIII.  
Pugna castitatis.

Sed quid non excogitat infelix Mundi astutia? THOMAM, quem totus Mundus capere non potuit, vili muscipulà capere tentat. Introducitur infamis fœmina, quam S. Chrysostomus rectè *muscipulam diaboli* appellavit. O quàm magnos glires parva sæpè capit muscipula! Ut THOMAS trahatur in Mundum, scortum adhibetur immundum, & ipse Mundus objecto non mundo utitur. Quid facturus es innocentissime THOMA? de magno agitur transitu ab esse ad non esse. Inter Ens & non ens, distantia penè est infinita. Si fortissima Petra, aut Angelus non es, brevi non eris id, quod jam es. Et nec sic quidem satis tutus es, si non plùs, quàm Petra,



**Petra, vel simplex Angelus es.** *Petram Ecclesiam foemina tentans evertit:*  
 Nam ut præclare loquitur magnus Aurelius: *Ventum est ad tentationem, & In Psal. 140*  
*jam Petrus interrogatus, non ab aliqua magna potestate, sed ab infimo mancipio à*  
*femina, ab ancilla interrogatus succubuit.* Foeminae ipsos tentant & vincunt  
 Angelos; nam ut Sacer Textus refert, *cùm vidissent filij Dei filias Hominum, Genes. 6.*  
*quod essent pulchrae, amore illarū capti sunt.* Hos filios Dei Angelos fuisse opi-  
 nantur, Justinus, Clemens Alexandrinus, Tertulianus, Lactantius & alij.  
 Quomodo subsistent Homines, si Angelos superant formosæ Angelinæ? ipsi  
 Dij conversationem foeminarum timent, quia teste Catone Uticensi, *Si*  
*Mundus Effet absque foeminis, conversatio nostra non Effet absque Dijs.* O  
 THOMA agitur hic de beatissimo Esse, & infelicissimo Non esse. Unum  
 Nihil tibi cavendum est, per quod potes fieri nihil. Audi S. Augustinum  
 de hoc nihilo, nonnihil dicentem: *peccatum nihil est, & nihil sunt Ho-* Tractat 1.  
*mines, dum peccant. Hæc negatio est malignantis natura, quidquid post se repe-* in Joan.  
*rit, destruit.*

Frustra de THOMA sollicitus sum AA: OO: Ille enim est Angelus altio- IX.  
 ris ordinis, quàm ut à foemina in nihilum redigi possit. Est Angelus *passus* Victoria  
*in medio lapidum ignitorum;* unde arrepto ignito titione de impuro igne, castitatis.  
 ignibus triumphat. Non potuit de THOMA actum esse, qui ostendit se Ezecb. 28.  
 castitatis Actum purum esse, neque THOMAS actum agit, dum de Ve-  
 nere triumphos agit, & fugatà Vulcani adulterà in malam cruce[m], sa-  
 crum crucis signaculum nigro carbone in pariete depingit, candidissimæ  
 innocentia[t] trophæum. Videte A.A, O.O. Opposita! nigra crux castissi-  
 mi candoris signum est, & castitatis candor in nigra cruce triumphat. Co-  
 ram hoc triumphali signo in genua provolutus THOMAS, non sibi, sed  
 Deo adscripsit victoriam, humillimà devotione cum Doctore gentium ex-  
 clamans. Non ego; sed gratia Dei mecum. O gloriosum ESSE & NON I. Corint. 5.  
 ESSE. Dum dicit Non ego, negat se victorem esse, cùm subjungit, gra-  
 tia Dei mecum: fatetur se victricis gratiæ cooperatorem esse. Et ita D.  
 THOMAS libidinis Victor est, & vanæ gloriæ mancipium non est.

Post tam insignem victoriam THOMAS de manibus persequentium se X.  
 elapsus; ad pristinum rediit ESSE, & Sacrum Prædicatorum reassumens D. THO-  
 habitum, vix non in dubium revocavit illud solenne axioma à privatione MAS Bos  
 ad habitum non datur regressus. In hoc Sacro Ordine tantos in Sanctitate mutus,  
 & doctrina progressus fecit, ut Cardinalis Bessarion illum appellare ausus  
 sit *inter Sanctos doctissimum, inter doctos Sanctissimum,* dubiumque relique-  
 rit, quodnam in illo majus fuerit, an tam doctum, an tam Sanctum esse  
 Magna hic animum meum subiret admiratio, cur THOMAS toto studio-

rum suorum tempore tam altum tenuerit silentium, ita ut Bos mutus à condiscipulis fuerit appellatus, nisi perspicerem in THOMAS non solum ESSE; sed etiam NON ESSE, laudabile esse: & ipsas privationes THOMAM Laude suâ non privare. Unde privationes Laude suâ non privat magnus Augustinus, dum ait: *Etiâ privationes rerum sic ordinantur in universitate natura, ut non indecenter vices suas habeant; tempus tacendi, tempus loquendi.* Veniet olim tempus loquendi, & hic Bos mutus ingentem mugitum edet, quem totus orbis obstupescet. Ego non recuso fieri Asinus, ubi THOMAS est Bos mutus.

Eccle. 2.

XI.  
D. THOMAS  
divina do-  
ctrina.

Joan. 7.

Act. 13.

2. de Nat.  
Deor.  
Exodi. 3.

6. 12.

1. Joann. 1.

Siluit hæcenus THOMAS, & in silentio Divinam concepit doctrinam, sapientissimæ prolis fecundissimus genitor. Quid dico genitor? potius receptor, quia Thomasticæ Sapientiæ Pater, DEUS est; nam teste Joanne XXII. *non absque speciali DEI infusione* illi est communicata. Etiam hic est & non, locum suum inveniunt: D. enim THOMAS rectè dicere potest: *doctrina mea, non est mea*, sed illius est, à quo omnis sapientia est. Rupto silentio THOMAS loquitur, & hæretici obmutescunt, THOMAS loquitur, & Scholæ obstupescunt, THOMAS loquitur, & crepitacula conticescunt, THOMAS loquitur, & ex omnibus mundi partibus Academiae acclamant Dei voces & non hominis. Potiori jure de THOMA dicere possum, quod Cicero de Platone effatus est: *audiamus Platonem quasi quendam Deum Philosophorum; audiamus THOMAM quasi quendam Deum Scholasticorum.* Sicut enim propter SUMMUM, EST EST: Ens Entium DEUS EST; Ità propter Sapientiam, quæ in THOMA EST, THOMAS quidam Scholasticus DEUS EST. Alpha & Omega DEUS EST, THOMAS in suo nomine non aliam includit vocalem, nisi Alpha & Omega, THOMAS igitur in vocalibus suis DEUS EST. Praclarè dixit Empedocles, sapiens quidam DEUS EST; unde Divus THOMAS, quia Sapiens in superlativo, supra omnes Doctores elatus, Sapientissimus est, Scholasticus quidam DEUS EST. Porrò Sapientissimum THOMAM esse pronuntiavit Clemens VI. dum illi sequentia Ecclesiastici verba applicuit: *Cum* esset Sapientissimus, docuit populum. *DEUS lux est, & tenebra in eo non sunt ulla.* THOMAS suffragante Pio Quinto, *clarissimum Ecclesie Lumen est; quod tenebras hæreseos dissipavit.* THOMAS igitur inter Scholasticos DEUS EST, & inter Deos lucidissimus Phœbus est. Si errare humanum est, certè nunquam errare divinum est. THOMAS igitur tanquam Scholarum DEUS venerandus est, qui nunquam in scriptis suis errasse deprehensus est, Testimonium perhibente Clemente Octavo, THOMAS *sine ullo profus scripsit errore.* Plus dicam. DEUS Prima veritas est, Divi THOMAS doctri-

doctri-

doctrina juxta Innocentij VI. oraculum habet *PRÆ reliquis veritatem sententiarum*. Si habet in veritate *PRÆ*, habet in veritate *PRIMAS*; adeoque THOMAS in Scholis prima veritas, & Scholasticus DEUS EST, DEUS author miraculorum est. THOMAS ex mente Joannis XXII. *quot scripsit articulos, tot fecit miracula*; proinde in scriptis suis mirabilis quidam DEUS EST. Toti<sup>9</sup> *universi* Rector Eximius scilicet Lactantio DEUS est *Famosissimarum Universitatum Rector Eximius THOMAS est*; qui hoc Rectore regitur, *nunquam invenitur à veritatis tramite deviasse*, ait Innocentius VI. In Scholastico igitur regimine THOMAS DEUS EST. Proclamat Apuleius Philosophus Platonicus: DEUS EST *unus & omnia*. De Sancto THOMAS effatur Gennadius, Patriarcha Constantinopolitanus: THOMAS *unus instar omnium est*. Qui unus & omnia est, DEUS EST: THOMAS igitur, qui *unus instar omnium est*, inter Scholasticos DEUS EST. Mirabilem sanè de DEO Cardinalis Ghufanus profert sententiam dicens: *Manifestum est, Deum esse omnium complicationem, etiam contradictoriorum*. In Divinis enim EST & NON EST, incomprehensibile mysterium est. Pater DEUS EST, Filius DEUS EST, & tamen Pater Filius NON EST. THOMAS igitur à Sapientiae suæ mysterio non excludit, EST & NON EST, quia mysteriosus quidam DEUS est. De DEO canit mater Prophetæ Samuelis, DEUS Scientiarum *Dominus est*. S. THOMAM Societas JESU, fecundissima Prophetarum Parens, Congreg. 5. cæn. 56. testatur, esse Principem Theologorum; deferendo Principatum, offert illi Theologiæ Dominium. THOMAS itaque Theologorum Dominus, & quidam DEUS Scientiarum est. Jam non miror, cur Sacra JESU Societas, quæ maximè divina est, tam arctè divina D. THOMAE amplectatur oracula: Facit illa *omnia ad majorem Dei gloriam*, unde etiam huic Scholarum DEO debitam non subtrahit venerationem. Imò regula 9. provincialis decernit, *non esse ad cathedras Theologicas promovendos, nisi qui erga S. THOMAM bene affecti fuerint, qui verò ab illo alieni sunt, vel etiam ejus parum studiosi, à docendi munere repellantur*. Repellitur à docendi munere, qui D. THOMAE dat repulsam. Reputationem perdit, qui reputat se aliquid esse, cum nihil sit, non attendens illud Apostoli monitum: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*. Qui se seducit, non rectè se ducit, imò ab esse ad non esse deducit, amittit illud, quod est, & non fit illud, quod non est. Saluberrima hæc est magni Hipponensis Episcopi lectio: *cum putamus nos aliquid esse, cum nihil sumus, non solum non accipimus quod non sumus, sed amittimus quod sumus*. Nihil efficit, quia S. THOMAS deficit, hæc defectio nulla est effectio, non sunt in illa effectus, sed defectus, & ut

*De falsa religione.*

*l. r. de doct. ignorant. c. 20.*

*l. Reg. 2.*

*Galat. 6.*

*Tract. 10.*

*in Joan.*

12. civit. & ut loquitur magnus Aurelius: non habent causas efficientes, sed deficientes.  
 c. 7. THOMAS Scholarum DEUS est, etiam hic præceptum valet, non habe-  
 Deuter. 5. bis Deos alienos, id est, Pallades ex proprio cerebro enatas, neque proprii  
 ingenij sculptile, ut adores illud. Quid dicam de Spiritu Subtilitatis, qui se  
 Divo THOMAS opponit? & contra illius EST EST? reclamatione NON NON?  
 scripsit Angelicus Doctor approbante Clemente VI. multa utilia: ex con-  
 traria parte opponuntur multa subtilia, ST. Silentium! compeſce linguam,  
 tace! tace Seneca! senex nimium criticus es, hanc ferendo censuram: mul-  
 ta inutilia ipsa Subtilitas reddit. Habet apicula subtilitatis aculeum cum  
 Epist. 83. mellis utilitate conjunctum. Quis nescit subtilem Scotum esse Doctorem  
 magnum? magnus quidem Doctor est, sed paulò minoratus ab Angelis,  
 Angelicam non intrat Hierarchiam. Si auderem effari quod sentio: dice-  
 rem Subtilem Spiritum esse superiorem Homine, sed Angelo inferiorem,  
 habere intellectum supra Hominem, non tamen intelligentiæ Angelicæ pa-  
 rem. Reponamus tamen Subtilissimum Spiritum inter Angelos. Non plus  
 ultra! D. THOMAS Scholasticorum DEUS est, hoc cælum non patitur  
 duos, quisquis DEUS non est, longè minor DEO est.

XII.  
 D. THOMAS SCIENTIARUM DOMINUS est, D. THOMAS scientiarum Dominus sine unione charitatis  
 cum scientiarum Domino, se non reputavit DEUM, sed nihil esse, illà  
 Doctoris scientiarum firmatus Sententià: Si habuero omnem scientiam, & nove-  
 rim mysteria omnia, charitatem autem non habuero nihil sum. Verè creatu-  
 ra nihil est, quæ suo Creatori conjuncta non est, qui solus verè est. Hujus  
 rei veritatem æterna veritas declaravit, Sanctam Catharinam Senensem  
 interrogando: Nostin filia quis sim ego? qua tu? ego SUM, qui SUM, tu ES illa,  
 Lap. in cap. qua NON ES. Eleganter ad propositum Cornelius à Lapide, sicut nomen DEI  
 3. Exodi. est ESSE, ita creaturarum nomen est, NON ESSE. Si interrogetur Homo, An-  
 gelus quises? qui vocaris? respondere debet, meum nomen est, NON ESSE, ego  
 vocor NON SUM. Et hæc est ratio, cur D. THOMAS DEO crucifixo interro-  
 ganti, quæ erit merces tua? responderit, non alia nisi tu Domine. Profectò  
 rem magnam postulasti Doctor Angelice. Scio quorsum tendas per Non alia,  
 declinare vis Non esse, horres intitulari non sum, ideòque illum pro mer-  
 cede postulas, qui bis dicit SUM SUM. Magna enim exclamat Hipponensis  
 Exodi 3. Episcopus hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. Pe-  
 L. 14. Trin. tis per charitatem conjungere tuum non esse, cum summo esse, deside-  
 6. 12. ras per dilectionem unire tuum non sum, cum illo, qui dicit SUM SUM,  
 Verbum SUM & EST, in sermone copula est, conjungens duo extrema.  
 Facta est tibi propositio, qua erit merces tua? THOMAS SERVUS, DEUS DO-  
 mi-

minus, duo sunt extrema, perē verbum sum, desiderā copulā, postula unio-  
 nem, tunc enim primò acceptur<sup>9</sup> es divinum esse, postquā per charitatis co-  
 pulam fact<sup>9</sup> fueris cum DEO unū esse. Obtinuit D. THOMAS ab eo, qui EST,  
 verbum SUM, iteratum sum, repetitum sum. Cum veritate enim dicere po-  
 rest; hæreticæ falsitati obsum, Catholicæ veritati profum, doctrinæ Schola-  
 sticæ præsum, divinis mandatis subsum, meis sequacibus adsum, nulli illorū  
 desum, per charitatē DEO insum, visibilibus & invisibilibus hostiū victor su-  
 pegum. A DEO prōvenit toties repetitum SUM, de quo cum magno Aurelio  
 D. THOMAS exclamare potest: DEI dono sum, quidquid laudabiliter sum.  
 Oſtendi D. THOMAM quendam DEUM esse, ille autem etiam meminit se  
 mortalem esse, illud observans Senecæ oraculum: *me Hominem tunc maximè  
 cogitabo, cum Deus indignus salutarior. Sapiens enim teste eodem Philosopho, exceptā  
 mortalitate, est similis DEO. Moritur doctus pariter ut indoctus: inter mortales  
 nemo est immortalis; vitā nostrā, continua mors est, transitus est ab Esse, ad  
 non Esse. Nemo nostrūm (inquit Seneca) idem est manens, qui fuit pridid, quid-  
 quid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipse, dum  
 loquor mutari ista, mutatus sum. Nihil brevius de D. THOMA dicere potui  
 quàm EST, & tamen dicendo EST, incidi in NON EST. Aſcultaſte A:A:O:O:  
 ingeniorum Phœnicem Augustinum de hac horula, quàm mihi gratiosè do-  
 nāstis, ita differentem: quid mihi de hora ista, quæ nunc peragitur, dabitur? cui co-  
 mitta hoc verbū & dicam EST, cum dicis ipsum EST, cerè una syllaba est, & moni-  
 zum unū est, & tres literas habet in ipso idu. Ad secundā hujus verbi literam non  
 venis, nisi prima finita fuerit, tertia non sonabit, nisi & secunda transiverit, quid  
 mihi de hac una syllaba dabitur? & tenes dies, qui unā syllabā non tenes! Non detine-  
 bo vos ultra A:A:O:O: cum non possim unam syllabam EST tenere. Moritur  
 THOMAS; & ampliùs NON EST, ut per hoc NON ESSE, transeat ad melius ESSÈ.  
 Apertissimè hoc declarat magnus Aurelius, dum ait: quanto ampliùs esse a-  
 ma veris, tanto ampliùs vitam aternā desiderabis. Desiderat D. THOMAS dissol-  
 vi suum esse, & esse cum Christo. Moritur THOMAS morte Justorū, bene scrip-  
 sit, bene dixit, bene vixit, bene moritur; quia libenter moritur: nam vel ipso  
 Ethnico Philosopho teste: bene mori, est libenter mori. Debitū naturæ solvens  
 D. THOMAS, hanc vobis A:A:O:O: legat M. S. P. Augustini sententiā: quàm  
 nihil est Homo! & hoc dicit ipse Homo, & non corrigit se Homo, ut non nihil, sed  
 aliquid sit Homo. Cessavit D. THOMAS Homo esse, & beatè cessando ostendit,  
 quod melior sit finis rei, quàm principiū. Utinam A:A:O:O: idem de hodi-  
 erna dictione mea, ex Vulgata editione asserere possem dicendo: melior est fi-  
 nis orationis, quàm principiū. Vel ut clariùs ad propositū vertit S. Hieronym<sup>9</sup>:  
 meliores sunt in dicendo Epilogi, quàm exordiū. Sermo me<sup>9</sup> multis defectib<sup>9</sup> ob-  
 noxi<sup>9</sup> per EST & NON fact<sup>9</sup> aperuit Exordiū, utinā melior successu per EST  
 & Non, Epilog<sup>9</sup> claudatur, Finaliter dicam EST & Non. THO-*

Epist. 52.  
 XIII.  
 D. THOMAS  
 mors.  
 De beata  
 vita.  
 De con-  
 stant; Sa-  
 pient.  
 Eccles. 2.  
 Epist. 58.  
 In Psal. 38.

Lib. 3. de  
 liber. arbit.  
 cap. 7.  
 Num. 23.  
 Senec. Epist.  
 62.  
 Serm. 11.  
 de divers.  
 c. 8.  
 Eccles. 7.  
 Versio cam-  
 pensis.



**THOMAS NON EST** infans, quia factus ineffabilis, **NON EST** vir, quia ex Confessarij testimonio innocens tanquã puer quinq; annorũ, **EST** utrumque: infans per innocentia, & vir in perfectione. **THOMAS NON EST** Angelus, quia est mortalis, **NON EST** Homo, quia vitam ducit Angelicã, **EST** utrumq;: Homo est Angelicus, & Angelus Humanus. **THOMAS NON EST** dives, quia est inter nihil habentes, **NON EST** pauper, quia numeratur inter omnia possidentes, **EST** utrumq;: pauper est in numo & dives in Numine. **THOMAS NON EST** vocalis, quia *Borinus*, **NON EST** mutus, quia proclamar, *conclusũ est contra Manichæos*, **EST** utrumque: novit tempus tacendi, & tempus loquendi. **THOMAS NON EST** Magister, quia à SS. Apostolis Petro & Paulo eruditur, **NON EST** discipulus; quia est quintus Ecclesie Doctor, **EST** utrumq;: quæ divinitus didicit, humanitus docet. **THOMAS NON EST** Sol, quia lucet in nocte ignorantie, **NON EST** Luna, quia ut illa non mutatur, **EST** utrumq;: causat clarissimã Scientie Diem, & illuminat ignorantie noctem. **THOMAS NON EST** magnus, quia effectus est sicut parvus, **NON EST** parvus: qui enim fecerit & docuerit, magnus vocabitur, **EST** utrumq;: parvus est in oculis suis, & magnus coram Dño. **THOMAS NON EST** Doctor novus, quia Sapientia in antiquis habitat, **NON EST** antiquus, quia errantem correxit antiquitatem **EST** utrumq; tanquã Scriba doctus profert de thesauro suo nova & vetera. **THOMAS NON EST** vivus, quia decessit è vivis, **NON EST** mortuus, quia vivit in libris, **EST** utrumq;: mortuus est & quasi non est mortuus: similis enim reliquit post se, Summus Summam. **THOMAS NON EST** in militante Ecclesia, quia in cœlis triumphat, **NON EST** in triumphante, quia adhuc cum hæreticis in terris pugnat, **EST** utrumque: in terris stringit calamum, in cœlis tenet palmam.

**Finio sermonem, & vestro A:A: Sapientissimi submitto iudicio discernendum, utrum illi conveniat supra citatus Ecclesiasticus textus, melior est finis Orationis, quam principium.** Nam ut hunc locum vertit Thaumaturgus, *Sermo non in principio, sed cum ad calcem venerit laudandus est.* Sed ut video locum laudis à Doctore gentium vituperium reporto, & reprehensionem. Respuit ille thema Orationis meæ, rejicit **EST & NON**, hæsq; duas particulas afficit notã levitatis. Ita enim ad Corinthios scribens expostulat: *nunquid levitate usus sum, ut sit apud me EST & NON? Fidelis autem DEUS, quia Sermo noster, qui fuit apud Vos, non est in illo EST & NON.* O magne Doctor Gentium! ego infimus idiota, humillimã devotione à te hoc egregium accepto capitulum. Promitto emendationem, non aliud dicam, nisi **EST!** adversarijs **D. THOMAS** particulas **NON NON**, resignabo; semper de **D. THOMAS** exclamabo **EST! EST!** Reclamate Thomisticae Scholæ Subtilissimi Antagonistæ **NON! NON!** propter meum **EST, EST,** & vestrum **NON, NON** minime nobis erimus oppositi. Ego dicendo **EST**, affirmo, vos reclamando **NON NON**, pariter mecum affirmatis, *dua enim negationes unã faciunt affirmationem.* An non pacificè disputatio nostra finita